SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

Epigrammatum

OCTERNIO DECIMUS,

Nobili, pietate, eruditione & eloquentiæ laude excellenti Viro,

DN. IOHANNI STOINIO

oblatus.

Ad Lectorem.

Carmine, Lector amans, si quis captare lucellum
Me putet, aut Vatum quærere fortè decus,
Fallitur. in studiis sic me retinere laboro,
Et prodesse aliis me voluisse probo.

Clarissimo Viro,

D. JOHANNI STOINIO,

nunc apud Luclavienses Concionatori dissertiss. Dn. & fratri in Christo Iesu carissimo. S. P. D.

CVM nuper in Bibliotheca mea, opusculum quoddam Theologicum, Vir præstantiss. Dn. Stoini, quærerem: incidi fortè in fasciculum chartarum quarundam mearum, quarum jam pænè oblitus eram; in quo continentur Epigrammata in ea nonnulla, ad Amicos, variis de rebus, tum hîc in Polonia, tum in Patria, plurimis ab hinc annis conscripta. Postquam autem ea perlegissem, cogitassemque, quidnam iis faciendum esset; an videlicet blattis ac tineis relinquenda, an verò conscindenda, vel Vulcano consecranda, an potiùs in lucem edenda; vicit tandem sententia ea edendi, & cum Amicis communicandi. Tibi autem illa dedicare placuit, viro erudito, mei autem inprimis amantissimo; idq; præcipuè ob carmen illud lugubre, quod aliquando, non sine magno, ut par erat, dolore ac mærore cecini, in funere Dn. Petri Statorii, Patris tui cariss. Viri & Theologi summi, ac oratoris excellentissimi, fratrisque & amici mei longè desideratiss. quod ipsum tibi non injucundum fore sperabam. Cognovi enim, tibi illud gratum illo tempore accidisse. Confido cetera quoque, quæ hoc Octernione comprehenduntur, non ingrata tibi futura. Vale, meque tui amantem redama, aut saltem dilige. S. P.

⁂ : ⁂

SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

EPIGRAMMATUM Octernio decimus.

Ad Dn. Iohannem Stoinium.

IANE, *decus Phœbi, Rhetor divine,* STOINI,
In cujus labris lactea Suada sedet.
Haut ita svavis erat cantando Thracius Orpheus,
Cùm traheret fidibus saxa ferasque suis:
Vt tu melleus es, quùm dogmata sancta tonando,
Cogis in obsequium pectora dura Dei.
Nec sic facundus Danaos mulcebat Vlyßes,
Dum caußam in medio diceret ille foro:
Vt tu demulces animos, & corda refingis,
Quando tibi fandi copia cunque datur.
Princeps sermonis Romani Tullius olim
Eripuit tristi funere sæpe reos.
Sarmaticæ eloquii tu largo flumine lingvæ,
Eripis e Stygio corpora multa lacu.
Iane, decus Phœbi, Rhetor divine, Stoini,
In cuius labris lactea Suada sedet.
Secula viventem tria felix Nestora vince,
Nosque fove eloquii nectare & ambrosiâ.

Ad Iohan: Gyzium, Pastorem VVylocensem Amicum meum singularem.

P*Ostquam Cimmerias in relligione tenebras*
Visum est propitio pellere, IANE, *Deo.*

Venit magnanimus constanti corde Lutherus,
Et primas Orbi prætulit ille faces:
Non secùs ac noctis tenebris abeuntibus almus
Lucifer instantem nunciat antè diem.
Venit non dispar animo Calvinus & ore,
Accensas auxit luminis iste faces:
Non secùs ac Phœbus jam luce oriente serenus
Illustrat radiis cætera cuncta suis.
Venit par istis animo, at majore Socinus
Instructus veri cognitione Dei.
Is patriâ, & magnis opibus, titulisque relictis,
Quos ex illustri nobilitate tulit,
Quando domi haut licuit, peregrinis hospes in oris,
Magno successu, voce, styloque gravi,
Cuncta revelavit sancti mysteria Verbi,
Antea præclaros quæ latuere Viros.
Sustulit errores, commentaque cuncta, Salutis
Æternæ verum quæ remorantur iter.
Dogmata proposuit vera, argumentaque cuncta,
Queîs benè munitur grande salutis iter.
Non secùs ac medio est cùm sol clarissimus orbe,
Sic lucent Verbi cuncta scienda Dei.
Hos tres Doctores nisi nobis Iova dedisset,
Essent fors tenebræ, sicut & antè, meræ.

In luctuosum obitum Viri magni, D. Petri Statorii, verbi divini Præconis præstantissimi.

Fratri-

Fratribus ô cunctis, ô & mihi funus acerbum,
S TATORI, vitâ frater amabilior!
Occidis heu! medius & adhuc florentibus annis,
Nestoris antiqui vivere digne dies.
Dignior ut, multis nobis morientibus, Ipse
Vivus adhuc esses integer, idque diu.
Doctrinæ ratio fuerat tibi cognita CHRISTI,
Insignis Rhetor, Præcoque cujus eras.
Nemo tibi eloquio par, ingenioque secundus.
Aurea mens inerat, vox tibi Suada fuit.
Incessu gravis, ore decens, & corde fuisti
Candidus, iræ expers, omnigeniique doli.
Deniquè sola tibi fuit hæc, ac unica cura,
NOSSE DEUM, ET FRATREM DILIGERE ANTE ALIOS.
Nos ergo ut miseros, quibus hæc simulachra piarum
Virtutum, & tecum tot abiêre bona:
Sic te felicem rursus, cui contigit istis
Moribus extremam claudere morte diem!
O cæli, cætusque tui decus, optime CHRISTE,
Iacturam hanc alio, quæso, repende modo!

Epitaphium ejusdem.

Conditur hac ingens parvâ STATORIUS *urnâ,*
Qui servus CHRISTI, *Mystaque summus erat.*
Cumque illo pariter terra conduntur in ista,
Candor, Amor, Charites, Gratia, Suada, Decus.
Indulgent lachrymis Pietas, erroris & expers
Relligio, nec non inte merata Fides.

 in os

Et nos qui tanto CHRISTI *Præcone caremus,*
Ad tumulum largis ora rigamus aquis.

Eteostichon, Annum, Mensem, & diem obitus ejus continens.

VIX InfaVsta DIes MaI noVena refVLsIt,
VrnIgra, StatorI, VIr pIe, fata sVbIs.

Ad nobilitate & pietate præstan. Virum, D. Stanislaum Lubieniecium, olim Aulicum, nunc autem Ecclesiæ Christi primarium Ministrum.

Quondam magnorum visebas Atria Regum,
A puero humanis deditus obsequiis,
STANISLAE, *tui visis nunc Atria Christi,*
Ejus divinis deditus obsequiis.
Olim mortalis fuerat tuus Induperator,
Nunc immortalem, cui famularis, habes.
Quid sapere est, hoc si non est? quòd vera putasti
Præmia terrenis anteferenda bonis.
Tunc spes ingentis reditûs, clarique fovebas
Nominis, ut Domini grandis in Arce fores;
Stipatúsque ires magnâ comitante catervâ,
Splendida mundani Regis ad ora tui.
Concipis æternæ sed nunc spes pectore vitæ,
Spirasque aurati Templa beata Poli.
Posteà quò alituum sanctâ ducente coronâ
Cœlestis venias Patris ad ora tui.

O bene quàm factum! quàm commutatio prudens!
Multorum melior sors tua sorte hominum est.
Tu modò ceu sacrum hoc dextrâ es complexus aratrum,
Haut unquam retrò lumina flecte tua.
Ite per exemplum mortales, quos capit Aula,
Et piè & æternùm vivere qui cupitis!

In Insignia Lubieneciorum.

Haut abs re factum, Gens Lubienecia, in Armis,
Quæ gestas, vomis quòd tibi aduncus inest.
Nam culturâ agri cunctis Mortalibus usquam
Vt præstantius est, utiliusque nihil:
Vivimus hinc omnes, hinc grata alimenta parantur,
Hinc vitæ omnigenus fructus & usus adest:
Nempe Ministerio Verbi, Mortalibus ægris
Sic præstantius est, utiliusque nihil.
Hinc animæ cibus, hinc utenda fruenda parantur,
Quæ præstant Mannâ, Nectare, & Ambrosiâ.
Quàm bene, STANISLAE, *unco assimilantur aratro,*
Quæ geris, officii Munia sancta tui!
Duram alii subigant splendenti vomere terram,
Vnde vber veniat fructus, & alma Ceres.
Tu CHRISTI *Populum regere, atq; docere memento,*
Vnde tibi ac aliis manet amanda Salus.
Qui sapit, ille oculos, arrepto intentus aratro,
Non aliò torquet, sed sua fidus agit!

Ad Dn. Iohannem Licinium, Amicum & Sympatriotam meum cariss.

 Nos pa-

Nos Patriæ fines, & cara reliquimus arva,
Attigimusque oras, terra Polona, tuas.
Non ob divitias, quas impiger Institor ardet,
Aut coëmenda boni jugera magna soli.
Relligionis amor, & veri Dogmatis ardor,
Nos in eas, Licini, compulit ire plagas.
Divitiæ non sunt, nec maxima jugera tanti,
Vt cupiam Patrios deseruisse Lares.
Solus amor veri, divinæ & cura salutis,
Dignior est Patriâ, dignior Orbe vago.
Hîc nobis certæ sedes, sit Patria cara,
Donec erit CHRISTI *cœtus, & alma fides.*

Ad Dn. Ioachimum Stegmannum, Virum eruditione & pietate præstantem.

Plurima divini sunt argumenta favoris
In genus humanum, nobile plasma Dei;
Haut tamen est illo, STEGMANNE, *illustrius ullum,*
Verâ cœlestis cognitione Dei.
Nosse Bonum summum, Spes ejus corde fovere,
Ducentemque illò cum Duce nosse viam.
Istâ notitiâ, quid in Orbe beatius usquam?
Nil certè: hanc præter scire tuum nihil est.
Hîc sumus ambo pares: nos dulcis gratia CHRISTI
Hâc collustravit cognitione Dei.
Hoc nos hûc ambos habitatum jussit abire
Dulcibus ex Patriæ sedibus, atque focis.

Sed tu

Sed tu pro Domino durissima vincula CHRISTO
Passus, & in tristi carcere martyr eras.
Hîc nobis dispar ratio, fortissime CHRISTI
Miles, & hoc præstas meque aliisque modo.
Scilicet haut istud cuivis donatur utrumque,
Discipulus CHRISTI, *Martyr & esse queat.*

Ad Dn. Thomam Gieyzanovium, Amicum & Popularem meum dilectiss.

Thoma, qui scholico sudas in pulvere ab annis
Pluribus, & Ludi virgea sceptra geris,
Dic, nam non nescis, pistrino & carcere duro
An non est multò durius istud onus?
Fama est Atlantem longè fulgentis Olympi
Latis summa humeris pondera ferre suis.
Tute Atlas ille es, schola non schola summus Olympus,
Hunc portas humeris gnaviter ipse tuis.
Perfer & obdura, labor hic tibi proderit olim:
Te, Thoma, in cælis digna corona manet.

Ad Iohan. Stoinium.

Magne Vir eloquio, sanctâ conscribere nobis
Quem promisisti de Pietate librum,
Quare, cùm possis, non tradis, Iane, legendum
Omnibus, ut lector non sine fruge legat?
Vrgeo non frustrà. nam tu quod scribis, Amice,
Purior hoc ætas & legit, atque probat.

Ad Tobiam Accipitrinum Oppolien. Silesium, po-

pularem, coætaneum, socium, comitem, & amicum meum summum.

Accipitrine, eadem tecum mihi Patria, tecum
Idem convictus semper & usus erat.
Ambo scholam visebamus puerilibus annis,
Hæsistique comes tu mihi, egoque tibi.
Ambo peregrinas ibamus postea in oras,
Hæsistique comes tu mihi, egoque tibi.
Ambo natales læti repetivimus oras,
Hæsistique comes tu mihi, egoque tibi.
Heu fatum infelix quàm nos disjunxit utrumque!
Quàm nostras miserè solvit amicitias!
Tu, miserande, cadis Patriis in finibus, atque
Me tenet in gremio terra Polona suo.

Ad D. Ionam Schlichtingum, V. nobilem, eruditum, & Theologum præstantem.

Qui poteras Regum magnas volitare per Aulas,
Sceptriferis poteras notus & esse Viris,
Schlichtinge inferior doctrinæ fœnore nulli,
Aut clarâ Gentis nobilitate minor,
Spernere Mundanos duxisti cautus honores,
Et titulos CHRISTI *projicere ante pedes.*
Sancta salutiferi proponis dogmata Verbi,
Monstrans ad Cœli sidera quà sit iter.
Hoc tu nempe facis, CHRISTO *exornatus ab ipso,*
Clarior ut longè major & esse queas.

Ad funus Thomæ, filioli D. Thomæ Steigmanni collegæ mei carissimi Tarnomonti.

Cùm fuerat Thomas felicibus editus astris,
Edidit hos claro Phœbus ab ore sonos:
Hic puer ingenio, vivat modò, divite multos
Vincet, & Aoniæ frondis honore cluet.
Improba dicentem Phœbum mors audiit: ergo
Invidiæ stimulis sic agitata refert:
Cynthius ingenii quoscunque beavit alumnos
Munere, & Aoniis imbuit ipse bonis,
Omnes experior nostrum contemnere numen,
Et flocci Regni pendere jura mei.
Haut patiar plures tantum producere vitæ,
Vt grave Philosophâ nomen ab arte gerant.
Dixit, & ut Thomam persensit in arte tenellum
Crescere, mox illam trux Libitina necat.
Invida, profectu fratres majore tenelli
Succedent isti, quem modò sæva rapis.
At tu, si cuiquam tua vis dare munera, in aurem,
Disce, precor, posthac, candide Phœbe, loqui.

Ad Generosum Dn. Adamum Goslavium, Mæcenatem meum colendiss.

O peregrinorum GOSLAVI *Fautor* ADAME,
Perfugium rebus portus & aura meis,

Quas tibi condignas grates, quæ vota rependam,
Pro tantis meritis, & bonitate tua?
Vt te IOVA *parens sacrosanctis gestet in vlnis,*
Et manuum validâ contueatur ope:
Vtque supervivas Pylii senis integer annos,
Florentem videas progeniemque tuam.
Denique jucundo perfunctus munere vitæ,
Spirituum sacris annumerére choris.
O qui cuncta potes, vis & dare cuncta rogata,
Quæ facimus, votis annue, IOVA, *piis!*

Ad Ionam Schlichtingum.

Publica Meisneri, IONA, *qui Scripta refutas,*
Dogmatis æterni Præco diserte Dei,
Rem magnam præstas! ô sit tibi gratia prættò
Cœlica, tàm sanctum quò bene cedat opus.
Expetitur Liber a multis. fac, quæso, legendus
Vt citò victuris exeat ille typis.

In Symbolum
Nobilis Viri Dn. CASPARI Rogonsky
a Cornicz.

Conscientia Recta Arx Cordis.

Expugnari arces, & ahenea mœnia poßunt,
CASPARE, *ingenio, viribus, arte, dolo.*

Conscia

Conscia mens recti sed inexpugnabilis una est:
Hæc vires nullas, aut timet illa dolos.
Immò cum mundum consumat & omnia Tempus,
Æternùm hanc unam nulla ruina manet.
Hæc tibi sit cordis custos, hanc pectoris arcem
Quo, CASPARE, potes cunque tuere modo.

In Symbolum
Dn. Thomæ Pisecii affin. cariss.

Tandem Potiar.

Multa tulit, qui nunc fato meliore potitur,
Sudore, & multo tempore constat honos.
Perfer & obdura, passus graviora, PISECI,
Et TANDEM optatis ut POTIARE bonis.

In Anagramma
Dn. Iacobi Angermund, Amici mei summi,

Non cedam gravibus.

Heu mihi, quod pulchrum est, quàm magno constat! ha-
Heu mihi, difficiles quàm pretiosa vias! (bentq;
Quàm per inexplicitosque, catenatosque labores
Virtutis sacrum limen adire datur!
Me quoque anhelantem sors desperare suädet,
Et grave propositum sæpe moratur iter.
IOVA parens fer opem, Virtutis amator & æqui,
Fataque currenti da meliora precor.

NON CEDAM GRAVIBUS, *te ſuppeditante, periclis,*
Et vires, & opes, & tua dona mihi.

Ad eundem.

Vita, quod ipſe vides, eſt plena, IACOBE, *laborum,*
Cum gemituque datur, cum gemituque fugit.
Temporis & ſi quid (quanquam hoc breve) vivitur, atque hoc
Non intermiſſo cura dolore coquit.
Ergo mori ſubitò melius fuit, utile naſci
Vel nunquam fuerit: dic mihi præſtet utrum?

IN ANAGRAMMA

Gener. V. Dn. Hieronymi Moſcorovii Patroni mei colendiſſimi,

Summos vici honore viros.

Certè, HIERONIME, *cor ſollers Natura metallo,*
Si cuiquam, finxit de meliore Tibi.
Nam neque Te mundi titillat vana Voluptas,
Nec Te lucri amens turpis inescat amor.
Non etiam maleſvada ſitis Te torquet Honorum,
Aut Tibi fumus iners Ambitionis ineſt.
Verùm ut judicio exſuperas prudente, catoque
Et doctrinarum fertiliore penu:
Sic rarâ multos anteis virtute, Vir ample,
Cordeque, quod Tibi ineſt, candidiore nive.
Tale caput ſervate diu, pia Numina ſemper,
Quod facit, ut SUMMOS VINCAT HONORE VIROS.

In ſci-

In Scitum ejusdem,

Deus providebit.

Fide Deo, mandata vrge, si fors tibi deerunt
Cetera, sufficient prospiciente Deo.
Scitum clare tuum est Hieronyme; IOVA *procurat.*
Felix, qui credas, quod tua scita docent!

Ad Dn. Iacobum Reiniovicium fr. cariss.

Ille amor impensus cœlestis originis, omnis
Christjanus qualem debet habere bonus,
Omnes vltrò adamat, nullo discrimine, seu sint
Credentes illi, sive, IACOBE, *minùs;*
Digni sint, aut indigni, nil pensi habet ille;
An redament illi, sive, IACOBE, *minùs.*
Seu meriti, sive immeriti, curæ nihil; immò
Seu fuerint hostes, sive, IACOBE, *minùs.*
Non amor est vllus Christjano major amore,
Antè hoc qui nusquam notus in orbe fuit.
Hunc ego mirificum quò consequar ipsus amorem,
Tu fer opem votis, care IACOBE, *tuis.*

Ad Dn. Samuelem Latochium Secundum, Poëtam L. C. Amicum meum.

Eße mei oblitum Te, longa silentia produnt;
Sed tua me prohibet credere nota fides.
Aut fors quâ vivam nescis regione remotus,
Aut tribuis studiis otia grata tuis;
Otia de lauru Tibi quæ peperére coronam,
Nuper, & auxerunt nobile stemma tuum.

Vt mihi

Vt mihi rescribas gravioribus, optime Vates,
A studiis tibi nunc parce, referque manum.
Et si jam gratâ tua Carmina luce fruuntur,
Vt reor, & nobis mitte legenda, precor.
Perge Dei laudes celebrare & Cæsaris acta.
Nam tibi cum divo Cæsare IOVA *favet.*

Tumulus

Filiolæ meæ cariss. Reginulæ nondum bimulæ.

Quam Pater ardebat, Materque, omnesq; Sorores,
Hoc REGINA *cubat pupa tenella loco.*
Heu! nondum vitæ binos expleverat annos,
Cùm perit, & secum gaudia nostra rapit.
Non secùs exorto surgunt argentea Phœbo
Lilia, quæ rursum deficiente cadunt.
Pars animæ non parva meæ Reginula blanda,
Iam mihi sic nunquam conspicienda! Vale.

Ad Iacobum Angermund.

Tu perflas toto jucundum pectore somnum,
Et tibi non vanus nuncius ecce venit,
Vt rebus jam compositis, nobisque relictis,
Ire pares gratas, care IACOBE, *vias.*
Perspice quæ IOVAE *sit pro te cura, favorque;*
Reddeque propitio debita vota Deo.
Nos tibi successus, & mollia fata precamur:
Præcipuè votum tale, IACOBE, *meum est,*
Externas ut legum abeas studiosus in oras,
Sed redeas clara Doctor in arte. Vale.

Ad Iohannem Licinium.

Quare nunc istis vivatur moribus, & sint
Flagitio insignes, nequitiâque viri,
Si caußam, Licini, quæras: hæc maxima causa est,
Quòd multis nullus creditur esse Deus.

Ad Danielem Franconium.

Bacchanalia prædicando quidam
Detestatur, abominatur ore;
Saturnalia sed domi celebrat,
FRANCONI, geniumque pascit ipse.
Non poßum, mihi crede, contineri,
Quin hunc despiciamque rideamque,
Vanum, ridiculum, malum magistrum.
Non est Orgia, feriasque Bacchi
Hoc damnare; sed est gravem Catonis
Et duram Curii tonando frontem
Duntaxat simulare; veriusque
Hoc est vivere ferias Lyæi,
Bacchanalibus & voluptuari.

De quodam bene concionante & malè vivente.

Cur monita usque daret quidam tam sancta Sacerdos,
Ipse ea nec faceret, fortè rogatus, ait:
Vt moneam, accipio florenos mille quotannis:
Vt facerem, hautquaquam mille bis acciperem.

In avarum.

Dum licitum fuerat cœli convexa tueri,
Fas erat in vivis & supereße tibi,
Omnibus invisum te juvit, Avare, draconis
Instar, divitiis incubuiße tuis.
Nunc miser heu! moreris: fecisti qui bene nulli
Hactenus, ha! facies ô pol, Avare, modò.

Bonitas & æquitas Dei.

Quanta Dei bonitas! sint maxima crimina quamvis,
Crimina sint quamvis cuncta patrata priùs;
Gratis condonat, si posteà vivis honestè,
Et sancto vitam claudis agone tuam.
Iustitia & quanta! omnia sint & maxima quamvis
Sancta opera, atque Deo digna patrata priùs;
Illa facit nihili, si posteà vivis iniquè,
Et vitam impuro claudis agone tuam.
Prudens ille, Deo qui postquam fidere cœpit,
Perstat, & haut vnquam desinit eße bonus.

Ad Venceslaum Bersium, de morte Sororis ipsius, Matronæ lectiss.

Quam tibi Germanam non exorabile fatum
Abstulit, heu! damno, VENCESILAE, *tuo.*
Quàm licet, & fas est, turbatus defleo tecum,
Illius & vitæ de brevitate queror.
Tres simul ac annos, & lustra peregerat ævi
Quinque ferè, similis decidit illa rosæ.

Nam ro-

Nam rosa Sole velut quæ postquam nascitur orto,
Non expectato vespere rursus obit:
Sic tua cara soror veros vix edidit annos,
Cùm tetigit vitæ fata suprema suæ.
Illius heu quanto post tristia funera tangi
Te desiderio, VENCESILAE, *putem?*
Quo cari Fratris Germana piissima, vel quo
Tangitur Vnigenæ Mater amata sui.
Ac non immeritò; nam, si fas scribere verum,
Spes fregit moriens, VENCESILAE, *tuas.*
Illa tuis & res studiis, & commoda multa,
Multa tui nimiùm dona parabat amans.
Cuncta sed hæc vnà perierunt commoda tristi
Illius interitu, spesque sepulta simul.
Ergò tibi sit acerba dies, quâ Fata sorori
Ausa tuæ, damno, rumpere fila, tuo.
Nec mecum pigeat victuro carmine nomen
Te dare Germanæ, VENCESILAE, *tuæ.*

Ad eundem.

Æger es, & toto langvent in corpore vires,
Febre vrente artus, VENCESILAE, *tuos.*
Digna tamen sacro componis Carmina cedro,
Atque meos poscis, dulcis amice, modos.
Laudo tuum studium, simul & te miror in ipso
Semianimem morbo scribere posse aliquid.
Æger adhuc scribis si docta Epigrammata, demum
Qualia non æger, VENCESILAE, *facis?*

Quis furor, ô Musæ, vati succurere nolle?
Vestrum, hoc ingenium si perit, est vitium.
At tu febris atrox torrere & viscera sicca
Ampliùs, & sacrum hoc vrere parce caput.

Ad Iacobum Angermund LL. stud.

Febre laboranti dum fratri frater adhæres,
Pro fratris dulci vota salute facis.
Et quia pondus habent majus fortaße duorum,
Vis ut ego iungam vota, IACOBE, *tuis.*
Exigis officium, fateor, juvenum optime, tale,
Quo nil sanctius hic majus & Orbis habet.
Pro cara Fratrum nam munera nulla salute,
Debita deposcit sed sibi vota Deus.
Et cum devinci nequeat rationibus ullis,
Sola queunt Dominum vincere vota Deum.
Hunc ego, ne dubita, posthac, dulcissime, tecum
Suppliciter votis sollicitabo meis.
Vt tibi conservet Patroclum, febre repulsa,
Et nec adhuc vestras solvat amicitias.

Ad Magnif. Dn. Andream Kochticky, cùm novo auctus esset filiolo.

Quod fore sperabam, puerilis gloria sexûs
Nascitur Andrea, Fautor amande, tibi.
Lætor & ecce cliens tuus hoc Epigrammate curto,
Vt vivat, fundo fervida vota Deo.
Vivat, & egregii vestigia Patris adoret;
Sit tua, sit Matris spes generosa suæ.

Ardeat hunc Pallas, & turba novena Sororum,
Magnificasque ipsi Phœbus adornet opes.
Nominis útque a te fratres it splendor in omnes,
Sic ab eo splendor nominis usque fluat.

Ad Dn. Michaëlem Gittichium Venetianum fratrem dilectiss.

Cùm sis tam longis a nobis dissitus oris,
PISTORI ésne memor, suavis amice, tui?
Sic reor, ultra omnem est namque igneus ille ruinam,
Quem CHRISTI alma fides conciliavit, amor.
Vsurpare oculis ut fratrem copia non sit,
Haut idcirco animis effluit ille tamen.
Si quicquam mihi credis, ego te spondeo nunquam
Corde effluxurum, frater amande, meo.

Epitaph: honestæ & piæ feminæ, Agnetis Pistoriæ, sororis meæ cariss: in Domino defunctæ.

Germanæ hîc posui cineres, nomenque sacravi,
Lumine quod propero, Lector amande, legis.
Illa tamen quænam fuerit, si fortè requiras,
Siste parùm gressus, parva docere mora est.
AGNES dicta, fuit CHRISTI matrona Ministri,
Quæ duxit sanctâ nil pietate prius.
Pertulit & mentis morbos & corporis acres,
A quo connubio tempore juncta fuit.
Nam post difficiles partus, durosque labores,
Quùm peperit caro pignora trina viro;

Heu mihi! quàm ſævos hydropica facta dolores
Experta eſt, medicâ nil faciente manu.
Humanam donec ſuperavit funere ſortem,
Et iacet hoc placidè contumulata loco.
Si memor es mortis, perlecto carmine curto,
Functus es officio, lector amande, Vale.

Magnifico Viro Dn. Hieronymo Moſcorovio Mæcenati meo colendiſsimo Genethliacon.

Venerunt CHRISTI *nati ad cunabula luce*
Quâ Nabath*æa olim de regione Magi,*
Poſtquam longa decem tulerat faſtidia menſes,
Hâc Te nixa ſuo eſt Mater amata ſinu.
Omen ineſt luci! nam vix, Hieronyme, Muſis
Tinctus es, haut lævo ſidere, pænè puer,
Quærere cæpiſti, tùm poſt tot ſecula CHRISTUM
Fortè renaſcentem, propitiante Deo.
Inuentumque pius venerarìs, quantus es, ipſi
Teque voves, animi donaque cuncta tui.
O lucem fauſtam! fauſtos quoque nempe Parentes,
Tam fauſtum Mundo qui peperére Virum.
Vive bene, ac poſthac multis venientibus annis,
Hanc celebra veget o corpore, mente, diem.
Hisque animi donis, quibus es cumulatus ab alto,
Ad CHRISTI *laudes vtere ubique tui.*

Ad Dn. Iohan. Grotkovium, de Dn. Valentino Smalcio Gothano.

Sive arcana Dei docet acri SMALCIUS *ore,*
Mens auditorum percita pænè stupet.
De controversis seu rebus disputat idem,
Miratur Scholicus verba diserta chorus.
Consilium in dubiis seu pandit acumine dextro,
Consilium prudens, nec mora, quisque probat.
Pro Socero mecum, GROTKOVI, *funde Iehovæ*
Vota, diu servet tale, piumq́ue caput.

Ad Dn. Adamum Goslavium fautorem meum.

Sic est, ut perhibent: rara est concordia fratrum,
In fraterno etiam sangvine rarus amor.
Inter vos autem summa est concordia fratres,
Summus amor vester, summus, ADAME, *favor.*
ANDREAS *ingente tui deflagrat amore,*
Tu fratri cedis nil in amore tuo,
Estis corporibus tantùm duo, mentibus unus;
Est animus vobis mutuus, & cor idem.
Ac certè vestri tam rari atque acris amoris
Istius ratio, caußáque certa subest.
Non modò nam sangvis generis, non vincula gentis,
Sed sangvis CHRISTI *vos in amore ligat.*
Hunc ut servetis semper constanter amorem,
IOVA *det, æternâ vosq́ue salute beet.*

Verus & perfectus amor quis?

Non amor is verè est; fidum si fidus amicum
Ardes, attentisque appetis hunc oculis.
Sed si væsanum tu inimicum, aut diligis hostem,
Insano qui te persequitur studio.
Is demùm verè est amor: hunc rarissimus, illum
Insipidus pariter diligit & sapidus.